



Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SVMMO PON=||TIFICE,|| QVINQVE LIRBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

Cap. I. Proponitur quæstio, Quodnam sit optimum regimen?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53860)

LIBER PRIMVS,
DE ROMANI PONTIFI-
CIS ECCLESIASTICA
MONARCHIA.

CAPVT PRIMVM.

*Proponitur quaestio, Quodnam sit optimum
regimen.*

NEMINI DVBIVM ESSE POTEST, QVIN
& potuerit & voluerit Saluator noster IESVS
CHRISTVS Ecclesiam suam ea ratione &
modo gubernare, qui sit omnium optimus &
vtilissimus. Tres autem sunt formæ bonæ gu-
bernationis: MONARCHIA, id est, vnius principatus, cuius
contrarium vitium est Tyrannis: ARISTOCRATIA, id est,
regimen optimatum, cui opponitur Oligarchia, id est, factio
paucorum: & DIMOCRATIA, hoc est, populi totius impe-
rium, quod in seditiones non raro degenerat.

Docent hoc principes Philosophorum, PLATO in politi-
co, & ARISTOTELES lib. 3. polit. cap. 5. & lib. 8. Ethic. cap. 10.
Nec sine magna ratione id docent, nam si multitudo guber-
nanda est, fieri non potest, quin aliquo modo ex tribus gu-
bernetur. Aut enim vnus praeficietur Reipublicæ, aut aliqui
de multis, aut omnino omnes. Si vnus, Monarchia erit: si ali-
qui de multis, Aristocratia: si omnes omnino, Dimocratia.

Quamquam autem tres tantum sunt formæ simplicis gu-
bernationis: possunt tamen inter se illæ quasi permisceri, ex
qua permixtione quatuor aliæ formæ mixti regiminis pro-
ducentur. Vna, temperata ex omnibus tribus: Altera, ex Mo-
narchia & Aristocratia: Tertia, ex Monarchia & Dimocratia:
Postre-

*tres sunt formæ bonæ gu-
bernationis:*

Postrema, ex Dimocratia & Aristocratia. Quibus ita constitutis, prima nascitur quaestio, quæ sit ex septem formis gubernationis optima?

Ac Ioannes quidem CALVINVS, vt omnes omnino vias obstruat, quibus ad Ecclesiasticam Monarchiam constituentem disputando perueniri solet, Aristocratiam ex formis simplicibus; ex mixtis verò, temporatum regimen ex ipsa, & Dimocratia, omnibus aliis anteponit: deterrimam omnium vult esse Monarchiam, præsertim si in toto orbe terrarum, aut in Ecclesia vniuersa constituatur. Verba eius ex lib. 4. Infit. cap. 6. §. 9. hæc sunt: *Verum sit sanè & volunt, bonum atq; vtile, orbem totum Monarchia contineri, quod est tamen absurdissimum, sed ita sit; nunquam tamen concedam id ipsum in Ecclesia gubernatione valere.* Et cap. 20. §. 8. *Equidem si in se considerentur tres illæ, quas ponunt Philosophi regiminis formæ, minimè negauerim vel Aristocratiam, vel temperatum ex ipsa & politia statum aliis omnibus longè excellere.* Subiicit deinde rationes duas; vnã ab experientia ductam, alteram ab auctoritate diuina: *Id, inquit, cum experimento ipso semper fuit comprobatum, tum sua quoque auctoritate Dominus confirmauit, cum Aristocratiam politæ vicinam, apud Israëlitas instituit.*

Nos verò B. THOMAM, aliosque Theologos Catholicos sequuti, ex tribus simplicibus formis gubernationis, Monarchiam ceteris anteponimus: quanquam propter naturæ humanæ corruptionem, vtiliorem esse censemus hominibus hoc tempore Monarchiam temperatam ex Aristocratia & Dimocratia, quàm simplicem Monarchiam: modò tamen primæ partes Monarchiæ sint, secundas habeat Aristocratia, postremo loco sit Dimocratia.

Verum, vt facilius res tota explicari & argumentis confirmari possit, sententiã nostram tribus propositionibus complectemur. PRIMÆ propositio, ex formis simplicibus præstantissima est Monarchia. SECUNDÆ, regimen temperatum ex omnibus tribus formis, propter humanæ naturæ corruptionem vtilius est, quàm simplex Monarchia. TERTIÆ, circumstantiis seclusis simplex Monarchia simpliciter & absolutè excellit.

•§•

CAPVT